

D. O. M. A.

Dissertatio Metaphyfica

De

ENTE, EJUS OPPO.

SITO ET ATTRIBUTIS,

Quam

In celeberrimâ Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

M. ÆGIDII Strauch's/


publicæ ventilationi submittit

NICOLAUS JUNGIUS, Crempâ Holsatus.

In Auditorio Collegii Veteris,

Ad d. XXV 11. Augusti,

Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Excudebat Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LIII.

Coll. diss. A
117, 65

~~28. 81.~~

a. CXVII. 65.

D. O. M. A. ...
Differenzialrechnung

D.

ENTWURF

STOBT

1743

In ...

1743

M. A. G. ...



NICOLAUS ...

In ...

1743

...

...

WITTEBERG

...

...

83



ENS ENTIIUM NOS ADJUVET!

THES. I.

*Ens ut Objectum Metaphysicæ est, principia
non agnoscit.*

Ἐκθεσις. Scilicet generalissima disciplina quò Meta-
physica dici possit, requiritur ante omnia, ut Objectum ejus
quam latissimè pateat. Si itaque hujus disciplinæ officium
est, Ens ut sic considerare, relinquitur, non ut principiatum,
considerandum esse. Præterea & DEUS ipse de conceptu
Entis cum creaturis participat. Finge jam omne Ens, quod
Metaphysicæ considerationis est, principia habere & externa
& interna, habebis causam primam ab alio dependentem prin-
cipio, quod σιδηρόξυλον est.

ANTITHESIS. Absurdè itaque *Maccovius*, & ante eum
Lippius, postquam objectum Metaphysicæ nominaverant, ejus
principia evolvere aggrediuntur.

FUNDAM. ANTITH. 1. quia in Metaphysicis agitur
de principiis & causis. (2.) quia nihil est à seipso. (3.) quia
omne Ens per essentiam suam est. E. essentia differt ab Ente.
Illud enim, per quod quid est, aliud est, quam hoc, quod est per
istud. Videtur ergò hinc sequi ad minimum essentiam in tri-
secum principium Entis esse.

ΕΠΙΛΤΣΙΣ. Scilicet πρῶτον ψεῦδος secus sentientium est,
Metaphysicam propriissimè sic dictam scientiam esse, & ut
Maccovius non sine vitio & ἀκυρολογία eam definit, scientiam

contemplativam. Ex hoc errore pullulat alter de principiis Objecti Metaphysicæ. Norunt enim in scientiis propriè sic dictis affectiones de subjecto demonstrandas esse per causas semper, quarum tamen locum sustinere hîc rationes a priori non animadvertunt. Hinc illæ curæ de causis & principiis Entis. Ad Fundam. v. i. *resp.* principia & causas, de quib. agitur in Metaphysicis, non esse principia & causas Entis, ut Objectum Metaphysicæ est, sed ejus affectiones & quidem ad affectiones disjunctas referri hîc sensû: Quoddam ens principium est, quoddam habet, quoddam causæ, aliud causati sustinet vices.

Ad II. *respond.* Canonem intelligendum esse de ente dependente, nisi quis processum in infinitum dari in rerum natura ex eod. principio asserere velit.

Ad III. *resp.* Omne ens per essentiam suam esse, communis sententia est: differre v. essentiam ab Entè ita, ut illa causæ, hoc causati seu principiati rationem habeat, negamus. Sunt sane Synonyma Ens & essentia & unum idemque denotant. Nihil v. causa sui ipsius est. Præterea in Deo cum omnia sint τὰυτο, absurdissimè differentia quædam inter essentiam & ens, quæ omne Ens attingat, fingitur. Confer. *Adm. Rev. Dn. D. Carolii Scrip: Philosoph.*

THES. II.

Existencia Entis synonymum est.

Ἐκ θεοσις. Ad definitionem Entis nominalem spectat synonymorum Entis evolutio, de quib. acriter inter se aliàs Autores contendunt. Præcipuè v. de existentiâ res videtur dubia nonnullis. Ast salva res est, si utriusque termini transcendentalis natura modo cognita sit. Essentia (verba sunt *adm. Rev. Dni. D. Scharffi.* Præceptoris nostri æternum colendi) illud dicitur, quò primò aliquid constituitur, intra latitudinem Entis realis, prout distinguitur ab Ente ficto. Existencia verò actus l. ratio essendi est, per quam essentia est extra
suas

suas causas indeque ponitur in rerum naturâ. Apparet ergo exinde, terminos hos saltem ratione distingui, prout mens primò concipit quidditatem, quam vocat essentiam, & deinde eandem rem considerat, prout est actu in rerum natura, quem actum essendi vocant existentiam.

ANTITHESIS. (I.) Eorum est, qui Existentiam affectionem Entis faciunt, cujus erroris rem agimus *Templerum* lib. I. *Metaphys.*: c. IV. quæ sententia per rationes allatas confutata est satis.

II. Eorum quoque esse videtur, qui de Ente in potentiâ dicunt, essentiam propriè prædicari posse. At si essentia & existentia synonyma sunt, essentiam habere nequit, quod existentia caret.

FUNDAMENTUM ANTITHESEOS SECUNDÆ. Quia Ens in potentiâ habet Essentiam in causis. Ergo non opus habet peculiari existentia & nihilominus essentiam retinet.

ΕΠΙΛΥΣΙΣ. Etsi verò sententia, Antitheseos secundæ loco, allegata, habeat fautores Excellentissimos VIROS, neque nostrum sit eandem falsitatis arguere, placet tamen impræsentiarum more Academicò & exercitiè saltem gratiâ ad tempus diversum sentire, quo ansam habeamus inquirendi ulterius, quæ sententia prævaleat. Quam philosophandi libertatem, & alius ante nos concessam esse novimus. Responderi itaque ad Antitheseos fundamentum posse videtur, quod minus conveniens sit locutio: Ens in potentiâ essentiam in causis habere, & propterea Ens propriè sic dictum esse. Ratio hæc est, quod res essentiam non habeant in causis, sed a causis, ut ait *Aristoteles*. Et si in causis entia in potentia essentiam habent, quæro ulterius, an ista essentia, quæ in causis latet, actualis sit, an secus? Si est, Ens in potentiâ verè causatum erit & habebit adeò affectiones Entis actualis, quæ contradictio est. Sin verò neque in causis actualem essentiam habet, porsus nihil erit, cum qui dissentiant, agnoscant quodlibet ens alicubi actu esse, ad quid enim aliàs opus esset essentiam in causis fundatam al-

negare? Quod ipsum & Aristoteles non obscure monet l. IX. Metaphyl. c. 3. circa finem, quo in loco hæc habentur verba: *Τῶν γὰρ μὴ ὄντων ἕνια δυνάμι ἐστίν, ἕκ ἐστὶ δὲ, ὅτι ἕκ ἐτελεχέια ἐστίν.* Non entium quedam potentiâ sunt, non vero sunt, quia actu non sunt. Et ulterius quætere placet, annon essentia, quam in causis habere Entia potentialia, plerique asserunt, propria dici queat istius Entis non existētis extra causas, an aliena, si propria, existet antequam existit, Ens potentiale; Si aliena, non Entis potentialis, sed causæ essentia erit, de quâ tamen non quæritur. Et hoc ipsum est, quod Excell. Dn. Sperlingius nervosè urget, tract. de Origine formarum contra Freitagium p. 234. his verbis *Ens omne, ait, aut causa est, aut effectus. Effectus realitas nunquam in efficiente. Causa semper actu est, si actu est, potentia non est. Si hoc, in causis non est. Realitate in quidem potentialiarum in causis deprehendimus, sed Entitatem ipsius Entis potentialis in causis reperire non possumus, nisi quis dare velit creaturas in Creatore, naturata in naturis, artificia in artificib. Uno verbô: Entia potentialia sunt non Entia.* Hæc, quem citavimus, Præceptor noster habet.

THES. III.

Ens rationis Metaphysicæ considerationis non est, cum id Ens cogitetur saltem, Ceterum realitatem extra intellectum nullum habeat.

ΕΚΘΕΣΙΣ. Per Ens rationis intelligimus hoc loco, non quod ab intellectu effectivè, ut artificia, non, quod in intellectu subjectivè, ut disciplinæ & scientiæ, non circa quod intellectus objectivè primò versatur, ut cognoscibile quodvis, sed quod intellectui inest objectivè consequenter. Hoc est quod rem cognitam insequitur & eidem ab intellectu imponitur.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ est eorum (1.) qui Enti rationis, quale e.g. Purgatorium est, attributa Entis positivi competere autumant. (2.) Qui totidem verbis asserunt de Ente rationis, vi officii, Metaphysicum agere debere.

FUN.

FUNDAMENTUM ANTITHESEOS. Quia habitus intellectuales, etsi a ratione proficiantur unice & in solo intellectu existentiam suam habeant, nihilominus classi Entium realium accensentur merito, cum ad Categoriā Qualitatis pertineant. Et verò quicquid in Categoria certa continetur, illud omne non possit non Ens reale esse.

ΕΠΙΛΥΣΙΣ. Respondemus ad ἔγκλημα hoc: Distinguedum esse inter id, quod extra intellectum & rationem existit, & inter id, quod extra operationem intellectus essentiam suam habet. Etsi habitus intellectuales extra intellectum & rationem, seu subjectum suum, non existant, esse tamen objectivum extra operationem intellectus habent. Et ante hominem creatum creaturā à Deo productā potentiam passivam habebant, ut potuerint cognosci ab intelligendi facultate prædita. Breviter: Quamvis extra intellectum non existant habitus, sed in ipsis rebus fundati per discursum naturalem producantur, nostroque intellectui instillentur, merum tamen rationis figmentum, cui in rerum naturā nihil respondeat, non sunt, sed ipsas res intellectui nostro repræsentant. Angustiores proinde definito suo sunt vulgatæ illæ Entis realis descriptiones, quibus Ens reale dicitur vel illud, quod reverā extra intellectum existit, vel quod ratione existentia suā ab intellectu non dependet. Enim verò utraq; hæc descriptio Entis realis habitus intellectuales excludit, Conf. B. Dn. D. *Jacob. Martini* Part. Metaph. p. 97.

THES. IV.

Non-Entis nulla sunt Accidentia.

ΕΚΘΕΣΙΣ. Liqueat thesEOS veritas ex eo, quod & ipsa accidentia entia sint. Requiritur itaque Ens, cui insint. Et quā absurdè accidens substantiā suā nobilius diceretur? &c.

ANTITHESIS est eorum, qui Non-Entium accidentia magno sæpe conatu eruere aggrediuntur. Etsi verò ijd. vix ac ne vix quidem concedant, de quo disquirunt, non-Ens esse, interim

interim absurditati disputationis nihil decedit. Cum veritas non mensuretur ab intellectu corrupto, sed intellectus à veritate sit informandus;

FUNDAMENTI (1.) loco pro Antithesi stabilienda urgeri possēt exempla, quibus Theleos veritas in fringi posse videtur. Annon verò de Cœcitate rectè dicitur, quod vel adventitia sit, vel connata? De peccato itid. quod contrarii Θεσις seu positionem includat? Et quid? Annon accidit nos in præsentī de non-Ente esse sollicitos? (2.) quia & Metaphysica, etiamsi ut abstracta consideretur, & adeò in nullo subjecto existat, nihilominus definitur. At definiti rem, accidit.

ΕΠΙΑΥΣΙΣ. Adhas & similes instantias respondetur. (1.) distinguendum esse inter non Entia simpliciter & secundum quid talia. (2.) dist. inter esse actuale & cognitum. (3.) dist. inter accidentia extrinsecè & intrinsecè denominantia, seu realia & intentionalia (4.) dist. inter actum signatum & exercitum. Quas distinctiones ferè omnes & fulius explicat & nervosè ad contraria argumenta applicat Rev. adm. Dn. D. Calov. Script. Philos. p. 239, & 240.

Ad alteram instantiam *respondemus*: Formatam esse Metaphysicæ, ut aliarum disciplinarum omnium, definitionem de possibili, hoc sensu: si in quodam subjecto accurata Entis notitia daretur, fore illam notitiam sapientiam &c. Ceu aliàs dicitur. Essentiæ rerum sunt æternæ. Etsi enim nullus existeret canis, nihilominus animal latrans canis diceretur. Conf. Dn. Stabli Reg. Phil. Regul. 4. Spengleri Metaphys. disp. 3. art. 2. Can. 1. aliosque.

THES. V.

Omnis Privatio habitum præsupponit.

ΕΚΘΕΣΙΣ. Patet hoc ex descriptione Privationis Aristotelica, quæ extat l. Categor. Capit. de Contrar. εἰρησις δὲ καὶ ἕξις λέγεται μὲν περὶ ταύτωντι, οἷον ἡ ὄψις καὶ ἡ τυφλότης περὶ οφθαλμὸν. Et paulò post: ἐστρεῖσθαι δὲ τότε λέγομεν ἕκα-

ἔσονται τῶν τῆς ἐξέως δεκτικῶν, ὅταν ἐν αὐτῷ πεφύκεν ὑπάρχειν ἢ ὅτι
πεφύκεν ἔχειν μηδαμῶς ὑπάρχει &c. Privatio & habitus di-
cuntur de eod. Sicuti visus & cœcitas de oculo. Privari enim
dicitur de reb. habitus capac. b. sicubi quod natura inesse vel
haberi poterat, abest &c. Et qui hoc negat, velim, in quo diffe-
rant privatio & negatio, nominet.

ANTIΘΕΣΙΣ. Implicitè hunc oppugnant canonem, qui
sobolem privari formâ suâ asserunt, quando ead. per naturam
inesse non potest. Quò referimus Peripateticorum transmu-
tationis principium, quod privatio equidem vocatur, cæterum
cum propriè sic dictâ privatione nil habet commune.

FUNDAMENT. ANTITH. I. Quia ipse *Aristoteles* quo-
que Met. I. IV. CXXII. significationes hujus termini privatio-
nis recensens, primum inquit: *σέρησις λέγεται εἰὰν μὴ ἔχη τὴν*
τῶν μὴ πεφύκωτων ἔχεισθαι &c. privatio dicitur de iis, quæ per
naturam haberi non poterant.

2. quia ἐν τοφλοῖς ἐκ γεννητῆς,
cœcis à naturâ, privatio utique datur, etsi naturali videndi ha-
bitu præditi nunquam fuerint.

ΕΠΙΛΥΣΙΣ. Respondemus ad I. distinguendum esse inter
vocis acceptionem propriam & impropriam. Vocabulo pri-
vationis abuti nonnullos equidem concedimus, ast hos sine
ullo discrimine imitandos esse, negamus.

ad II. respondemus. Non requi-
ri ad privationem, ut habitus, cujus dicitur privatio, realem
& actualem in Subjecto depravato existentiam habuerit. Siqui-
dem hoc loco sufficit, potentia naturalis inexistenti & quod
jure naturæ inexisteret debuerit videndi habitus.

THE S. VI.

Ens veras affectiones habet.

ΕΚΘΕΣΙΣ. De Objecto Metaphysicæ, ejusdemque Op-
posito hætenus diximus. Agendum nunc porro est de Ob-
jecti hujus attributis & affectionib., quas Enti competere verè
pro-

probamus 1. ex scientiarum & disciplinarum indole. Siquidem
 uniuscujusque disciplinae Objectum certis affectionibus & attri-
 butis stipatum est, & præprimis in scientiis id patet, cum in iisd.
 proprietates seu affectiones per causam proximam demon-
 strandæ sint de Subjecto, necesse ergo ut prius ipsæ sint. 2. per
 inductionem. Generalissima Entis partitio est, quæ fit in de-
 pendens & independens. At & Ens independens & Ens de-
 pendens attributa agnoscit sibi competentia. Ergò omne
 Ens iisd. stipatum est. Liquet assumptionis veritas ex consen-
 su Aristotelis & omnium Doctorum, nisi personatum *Massoni-*
um, attributa divina oppugnantem, & qui cum eo faciunt, ex-
 cipere quis velit. 3. Ex prædicandi modo & reali attributorum
 competentia. Enim verò quæ finguntur ab intellectu, non nisi
 eò operante, verificantur & sunt, cum his, vel non multum
 discrepantibus, verbis Ens tationis describatur communiter.
 At secus se res habet, quod attributa spectat. Siquidem nobis
 non cogitantibus, imò ne existentibus quidem, Ens & increa-
 tum & creatum erat bonum, unum, erat verum, erat vel causa,
 vel causatum &c.

ANTIΘΕΣΙΣ est eorum, qui attributa Entis pro rationis
 habent figmentis, nec realia & positiva esse ead. autumant, cu-
 jus antitheseos autores citat *Suarezius* disp. 3. sect. 1. n. 2. seq. At
 præter ea, quæ diximus & hoc contra eosd. observari & urgeri
 potest, quod, si affectiones illæ non essent reales, sed confictæ
 per intellectum, jam in Metaphysica, quæ non curat passionem
 à ratione confictas, istæ tradendæ non essent.

FUNDAMENTA ANTITHES. 1. Quia Ens ut sic omnis
 compositionis expers est, alioquin Deus ad Objectum Metaphy-
 sicæ non pertineret cum simplicissimus is sit. Neque Ens sim-
 plex amplius esset Ens. Consequentia inde deducitur & fir-
 matur, quod attributa vera & realia semper compositi Entis
 notæ sint & ulterioris perfectionis capaces, cum proprium pro-
 prii sit Subjecto conferre excellentiam, & illudque perficere.
 2. Quia ad unamquamque perfectionem seu proprietatem re-
 quiruntur hæ quatuor conditiones. Prima est, ut ipsa proprie-

tas sit aliqua res, nam si sit nihil, quomodo poterit esse realis
proprietas? *Secunda*, ut distinguatur aliquomodo ex naturâ rei
ab illo, cuius est proprietas. Nam si sit omninò idem cum illo,
potius erit essentia l. de essentiâ eius, quàm proprietas. *Tertio*, ut
adequatè illi conveniat, seu cum illo convertatur: agimus
enim de proprietate, quæ per se secundò alicui convenit, nam
hæc sola est, quæ sub scientiam cadit, & demonstrari potest.
Quarta denique est, ut subjectum, seu id, cuius est proprietas
non sit de intrinsecâ ratione & essentia talis proprietatis, quia
ut *Aristoteles* dicit: lib. 7. *Metaphys.* c. 5. & c. Subjectum non
cadit intrinsecè & essentialiter, sed solum ut additum, in defi-
nitione passionis, alioquin mutuo ita se haberent, quod passio
conveniret Subjecto per se secundo, subjectum autem passio-
ni per se primò, quæ videtur aperta repugnantia. At quis
asserere vellet affectiones, in quas hypotheses hæc quadrent,
de Ente ut sic prædicari posse?

ΕΠΙΛΥΣΙΣ. Respondemus ad I. Affectiones Entis
ne quaquam in Ente compositionem ullam formaliter infer-
re. Nil enim de formali Enti addunt præterquam negatio-
nem vel denominationem sumtam per habitudinem ad ali-
quid, extra se, per quam tamen, ut loquitur Jesuita, expli-
catur realis & positiva perfectio Entis, non secundum aliquid
reale super additum ipsi Enti, sed secundum ipsammet for-
malem seu essentialem rationem Entis. Scilicet eod. ferè
modo se res habet cum affectionib. Entis ut sic, ac se habet
cum Entis Entium attributis. Si itaque simplicitatem divi-
nam attributa, de quib. in Pneumaticis agitur, non destruunt,
neque Entis ut sic simplicitas exinde periclitabitur, quod affe-
ctionib. non careat. Non enim qui DEUM misericordem
vocat, fingit compositum numen, cum misericordia (de Entis
affectionib. eod. modo subsumi potest) non significet novam
Entitatem sed misericordia illa est ipsa Entitas divina, appre-
hensa cum respectu ad actum miserationis vel rem miserabi-
lem. De similib. idem esto iudicium. Breviter: Aufert sim-
pli-

pluritas Entis plures ab eo, sed divisibiles tamen conceptus
ac fundat ταυτοτητα ἰσσιώδη, seu essentialē identitatem.
Quod si jam propria quædam cum Subjecto suo sint τὸ εἶναι
ταῦτο, neutiquam ob ea periclitabitur Entis simplicitas.

Ad II. dicimus veras esse & legitimas condiciones affe-
ctionis rigerosè dictæ, talis scilicet, quæ sumatur ex Acciden-
tium prædicamentis. Cum enim accidentia cum substantiâ,
cui inhærent, nunquam ταῦτο sint, sequitur exinde, ejusmo-
di attributa, seu accidentia, inseparabilia realiter à Subjectis
suis differre & distingui à se invicem, ut Accidens à Substan-
tiâ differt & distinguitur. At secus se res habet in transcen-
dentalibus. Ibi enim passiones Entis, quas proprius attri-
buita dicimus, accidentia non sunt, sed concipiuntur saltem,
explicantur & prædicantur à nobis per modum passionis.
Atque adeò condiciones proprietatum, quæ insimul acci-
dentia sunt, non omnes hęc locò sunt necessaria, præsertim
illa, de distinctione ex naturâ rei. Sufficit distinctio rationis
quâ unum ut subjectum habens aliquam essentialē seu ra-
tionem formalem, saltem confuse conceptam, aliud v. per
modum perfectionis seu proprietatis concipitur. Confer,

*Dn. Scheibl. Metaphys. lib. I. C. III. Tit. 2. & quem sæpius
citavi Suarezium Disp. III. Metaphys. sect. I.
aliosq; supra laudatos.*

SOLI DEO GLORIA!



Coll. diss. A. 117, misc. 65